APPENDIX

AD QUÆSTIONEM QUODLIBET. &c.

In qua proponuntur Teſtimonia, tùm antiquæ Sacræ Facultatis Theologicæ Lovanienſis,

(QVAM AGRI DOMINICI PIISSIMAM, RELIGIOSISSIMAMQ; TVTRICEM VOCAT LEO X.) Conſt. 40.

Tùm celeberrimorum ejuſdem Facultatis Theologorum, maximè eorum, qui CONCILIO TRIDENTINO *interfuerunt, Teſtimonia,*

DE

ATTRITIONIS SERVILIS,

Id eſt ex ſolo timore gehennæ provenientis in Sacramento Pœnitentiæ inſufficientia.

Acceſſit Confeſſio Catholica Academiæ Lovanienſis An. 1544. *die* 6. *Decemb. juſſu Caroli V. edita.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LOVANIJ,
Apud Hæredes Bernardini Maſij, ſub viridi Cruce, Anno 1666.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPENDIX DE ATTRITIONE SERVILI.

§. I. *Proponuntur teſtimonia antiquæ ſacræ Facultatis Theologicæ Lovanienſis An.* 1544. *&* 1588. *congregatæ*.

I. ANNO 1544. die ſextâ Decembris ſacra FACULTAS THEOLOGICA ſub juramento in Collegio Theologorum congregata, juſſu Caroli quinti Imperatoris edidit 32. Articulos, quibus populus inſtruendus, & præmuniendus erat adversùs exorientes tunc hæreſes. Articulus autem tertius hic erat:

Pœnitentia Sacramentum (quod poſt Baptiſmum omnibus relapſis eſt ad ſalutem NECESSARIUM*) complectitur* CONTRITIONEM, *Confeſſionem & Satiſfactionem.*

Et Articulus quartus: *Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei* OFFENSAM *ſuſceptus, cum propoſito confitendi, & ſatiſfaciendi: non autem (ut quidam hoc ſæculo * perniciosè docent) terror conſcientiæ propter apprehenſum gehennæ ſupplicium peccatis debitum.* PRAEPARAT *tamen hic terror & gehennæ metus ad veram animi Contritionem.*

* Melanchon, Confeſſio Auguſtana &c.

Conſideret autem prudens Lector, an ſacra Facultas Attritionem ſervilem clariùs potuerit diſtinguere à Contritione Sacramentali, quàm fecerit his verbis: *Præparat tamen* &c.

II. ANNO 1588. die 17. Auguſti, ſacra FACULTAS THEOLOGICA juſſu Reverendiſſimorum & Illuſtriſſimorum Belgij Epiſcoporum edidit Juſtificationem cenſuræ ſuæ concordi judicio Doctorum S. Theologiæ probatam, in qua numero 165. ſic habetur:

Neque illuminatio dumtaxat ſuaſoria, neque METUS, *ſeu terror* ETIAM POENARUM POST HANC VITAM LUENDARUM *incuſſus, ſufficit ad inchoandum converſionem, ſed præterea gratiâ opus eſt, quæ cor ſic motum atque perculſum inflectat, atque emolliat: videlicet illa accedat operatio neceſſe eſt, quæ petitur à divino illo, ſanctoq; ſpiritu, cùm dicitur:*

Digitized by Google

Riga quod eſt aridum, flecte quod eſt rigidum, ſana quod eſt ſaucium, rege quod eſt devium. Etenim quidquid intus eſt, quod ſuadet tantùm & non perſuadet, allicit, non adducit, TERRORE *concutit, non* AMORE *afficit.*

Hanc Juſtificationem de mandato ſacræ Facultatis ſignavit Henricus Cuyckius pro tempore Decanus, Lovanij apud GERTRUDANOS S. Theol. Profeſſor, & poſtmodùm Epiſcopus Ruræmundanus.

§. II. *Proponitur teſtimonium Adriani VI. Pontificis Maximi.*

ADrianus VI. Pontifex Maximus Academiæ Lovanienſis præclariſſimum lumen & columen, in quartum quæſt. 1. *Pœnitentia vera eſt dolor voluntarius de peccato propter Dei offenſam* &c. *Subditur in definitione:* PROPTER DEI OFFENSAM, *quia ſi quis de peccato doleat propter* POENAM, *aut conſimilem cauſam,* NON EST VERA POENITENTIA *Vndè Gregorius tractans illud Geneſis tertio de Adam quomodò ſe abſcondit* &c. cùm ex peccato pœna metuitur, & amiſſa Dei facies non AMATUR : timor ex timore eſt, non ex humilitate. Superbit enim, qui peccatum, ſi liceat, impunè non deſerit. *Vndè apud damnatos eſt Pœnitentia, iuxta illud Sapientiæ* 5. Dicent intra ſe Pœnitentiam agentes: *Sed infructuoſa, quia propter læſionem naturæ, vel punitionem, non autem, quia* OFFENSA *eſt Divina Maieſtas, aut læſa Iuſtitia.*

Item q. 2. dubio 5. cùm dixiſſet ſibi probabilius videri, quod ad dignè ſuſcipiendum Sacramentum Pœnitentiæ *ſufficiat quicumque gradus deteſtationis & non requiratur certa quantitas intenſionis*, ſubjungit hæc verba obſervatione digniſſima: *Videor fortaſsè pœnitentibus nimis facilè polliceri ſecuritatem, ut in me etiam dictum videatur, curabant Contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, pax, pax & non erat pax Hieremiæ VI. nam cum ignominia ille dicit pax, qui peccanti & non legitimè pœnitenti promittit ſecuritatem* &c. *Sed*, inquit, *is advertere debet quod ſolùm dixerim ſufficere, ut dignè ſumat Sacramentum Pœnitentiæ: ſed certè cui virtute Abſolutionis diſplicentia aucta non fuerit, & æquè manſerit minuta formidandum eſt, quod Sacramento per inſufficientiam diſcuſſionis, aut propoſitum alicuius peccati, quod eſſe ignorat peccatum, obicem ponit, & ſic Sacramenti ſubſtantiam impediat & excludat. Vndè niſi vehementer doleat, ad minùs cauſaliter, contritus non eſt: neque peccatorum remiſſionem aſſecutus. Dico notanter* CAUSALITER, *quia niſi perfectâ voluntate convertatur ad Deum, & efficaciter velit placere Deo, ut affectus ſit alijs omnibus* PRAEDOMINANS, *nequaquam reponitur ad ſtatum ſalutis, & eſt bona voluntas, quam pax comitatur, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, quod uſitatiùs in Scriptura* CHARITAS *appellatur, & Auguſtinus* XIV. *de ci-*

civitate Dei capite VII. *Nam cuius propoſitum eſt amare Deum & non ſecundùm hominem, ſed ſecundùm Deum: amare proximum ſicut ſeipſum, procul dubio propter hunc* AMOREM *dicitur bona voluntatis.*

Item 1. quæſtione Quodlib. *Pulchrè dicit D. Thomas Diſt.* 17. *quarti in materia de Contritione, quòd talis debet eſſe contriti diſpoſitio, quod plus diſpliceat ei culpa, ut eſt* OFFENSA *Dei, & ei indigna, quàm ut eſt ſibi peccanti* NOCIVA.

Item quæſtione 4. *Sicut honor, divitiæ, voluptas & ſimiles non ſunt apti, vel decentes fines actuum virtutis, ita nec vitatio pœna, ſed vitatio culpæ, ſeu divina offenſa, eſt rectus finis operum.*

§. III. *Proponuntur teſtimonia Theologorum Lovanienſium, qui ſacro Concilio Tridentino interfuerunt.*

I. FRANCISCUS SONNIUS S. Theol. Doctor Lovanienſis, primùm Sylvæducenſis, deindè Antuerpienſis Epiſcopus, ad Concilium Tridentinum à Philippo II. miſſus, unà cum Martino Rithovio & Judoco Ravenſteyn, tractatu quarto de Pœnitentia impreſſo anno 1576. ſic habet: *Conteritur autem, atteriturve, quando peccator incipit ſibi ex corde diſplicere ſuper turpitudine & pravitate commiſſorum, atque ſeriò odiſſe malè actam vitam ſuam, commemorando ſecum quod fontem bonitatis perdiderit, quod mortem invenerit, quod funibus ad interitum illaqueatus exiſtat. Quæ ſanè ſi faciat prorsùs ex* AMORE *ad bonum Deum cum fiducia invenienda reconciliationis per Chriſtum, eſt Contritio, ſin autem remiſsè, vel* SOLO METU POENAE *evadendæ, eſt Attritio, non efficiens* VERAM POENITENTIAM, *attamen ad illam* PRAEBANS.

Poſtrema illa verba continent quamdam velut interpretationem articuli 4. S. Facultatis Theologicæ ſupra §. 1. n. 1. allegati, eſtque omninò veriſimile Sonnium articulis illis condendis interfuiſſe tamquam S. Theologiæ Profeſſorem Ordinarium.

Item in aureo libro *Demonſtrationum Religionis Chriſtianæ ex Verbo Dei* capite ſexto: *Manifeſtè,* inquit, *docemur Scripturis remiſſionem peccatorum fieri Verbo Dei, fide,* DILECTIONE, *Pœnitentiâ, Sacramento* &c. *nec fit verbo Dei adiunctâ fide ſive Pœnitentia &* DILECTIONE *Quoniam (teſte Salvatore) niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Lucæ 13. *Iterùm: Si peccavit in te frater tuus increpa illum, et ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Obſerva coniunctionem* SI, *quia ſi non egerit pœnitentiam, non dimittes illi. Et teſte Apoſtolo eius Ioanne:* QUI NON DILIGIT 1. Joan. 3. MANET IN MORTE. *Neque etiam fit verbo, fide, dilectione, pœnitentiâ,*

ſimul iunctis, niſi accedat & SACRAMENTUM à Chriſto in purificationem, & reconciliationem peccatoris inſtitutum.

II. RUARDUS TAPPERUS, qui Scholam Theologicam Lovanij XXXIX. annos rexit, edicto Reginæ Mariæ harum inferiorum Regionum Moderatricis compulſus, Lovanio Tridentinum accitus, in commentario Articuli 4. Lovanienſis ita ſcribit: *Oportet igitur cum Attritione quæ fit ob* METUM SUPPLICII, *& multò magis quæ fit ex conſideratione luminis naturalis,* ALIAM *affectus mutationem coniun-*
Pag. 187. *ctam eſſe, ut ſcilicet rationes ob quas dictis modis de peccatis dolemus, moveant ad altiorem conſiderationem, mentiſq; ad* DEUM *etiam* AFFECTIONEM. Scripſit autem Anno 1555. ac proindè poſt Seſſ. 14. Tridentini habitam Anno 1551.

Rationem præmiſerat: *Nam ne homo quidem iuſtus placaretur, cùm is, qui læſit nullam ipſius in dolore habet rationem, nec ab eo in amicitiam reciperetur, qui iacturam propriam ſentit & dolet, non amici offenſionem. Et paſſim requirunt Scripturæ, quod Pœnitentes convertamur ad Dominum. Convertimini, inquit Propheta Iohel in toto corde veſtro.*

Pag. 185. OBIICI tamen poſſunt clariſſima verba ejuſdem Authoris: *Attritio ex timore pœnarum ſupernaturalium idonea diſpoſitio eſt ad Sacramentorum Baptiſmi & Pœnitentiæ gratiam percipiendam: ut cùm quis deteſtatur omnia peccata mortalia & propterea confitetur ne per peccatum excludatur à gloria, vel ne in ſupplicium ignis æterni conijciatur: qui etiamſi cognoſcat ſe non habere Contritionem, ſed tantùm hanc Attritionem,* PROBABILIS *eſt Doctorum ſententia, quod licitè accedit ad Baptiſmi & Pœnitentiæ Sacramenta ſuſcipienda.*

Verùm RESPONDERI etiam poteſt clariſſima eſſe verba Davidica: *Non eſt Deus* Pſalmo 13. nec tamen indè conſequens eſſe, quod David inſipientium vocem approbet. Sic etiam fieri potuiſſe, ut verba illa legerentur apud Ruardum Tapperum non ex propria, ſed aliorum ſententia. Quomodò verba Ruardi Tapperi interpretatur Joannes Molanus tractatu 1. de Pœnitentia num. 32. *Meminit Ruardus idem* (quod ex attrito contritum hominem faciat) *quoſdam conſolatoriè ſcripſiſſe de quocumque* (etiam quod oritur à timore pœnarum) *Attritionis genere. Sed illud nec Scripturis, nec Patrum teſtimonijs eſſe conſentaneum, ſi intelligant nullam Dei, aut* OFFENSAE *eius in diſplicentia hac peccati habendam eſſe rationem.*

Obſervandum itaque, quod cùm Tapperus præmiſiſſet verba, quæ obijciuntur, & inſuper attuliſſet duo alia genera Attritionum, quarum una procedit à naturali Dei amore, tùm ſubjungat propriam ſententiam paginâ 187. ultra medium: CONSOLATORIA *quidem hac ſunt,*

ſunt, ſed INCERTA, & SCRIPTURIS AC PATRUM SENTENTIIS NON SATIS CONSENTANEA, *ſi intelligant nullam Dei, aut* OFFENSAE *eius in diſplicentia hac peccati habendam eſſe rationem.*

Neque dici poſſe videtur, quod verba illa referenda ſint ad ſolam Attritionem ex naturali Dei amore procedentem, de qua proximè egerat: ſiquidem juxta Molanum intelligenda ſunt *de quocumque Attritionis genere*, etiam illo, *quod oritur à timore pœnarum*, ut loquitur num. 30. Et ipſe Tapperus clariſſimè ſe explicat, quando ſubdit: *Oportet cum Attritione, quæ fit ob* METUM SUPPLICII (en Attritionem ſervilem) *& multò magis, quæ fit ex conſideratione luminis naturalis* (en Attritionem naturalem) *aliam* AFFECTUS *mutationem coniunctam eſſe* &c.

Et ſanè Tapperus ijs utitur argumentis, quæ probent, non tantùm Attritionem naturalem, ſed nec ſervilem in Sacramento Pœnitentiæ ſufficere, quale eſt illud ex Ezechielis 18. *Convertimini & agite pœnitentiam* &c.

III. MARTINUS RYTHOVIUS S.Th.Doctor Lovan.primus Iprenſium Epiſcopus, in manuſcripto in Scholis Anno 1558. dictato ſuper libros ſententiarum, quod Lovanij aſſervatur in Collegio Adriani VI. in 4. Diſt.14. cùm ſcripſiſſet, quòd *damnationis timor & ſenſus urgentis periculi occaſionem pœnitentiæ ſubminiſtrat*, concludit: *non eſt igitur* TIMOR *vera* POENITENTIA, *ſed utilis & ad* CONTRITIONEM *vicinum gradum ſternit.*

Et infrà: *Auguſtinus timore introduci Charitatem dicit (poſtquam ipſe exivit) ſicut apud ſutores ſeta introducit filum. Timor iſte ſimilis eſt ſcientiæ legis, quæ ex peccatore facit prævaricatorem ad Rom.7. ſed cùm accedit bona voluntas, tùm eſt ſcientia, quæ inflammat voluntatem.*

IV. CORNELIUS JANSENIUS Epiſcopus Gandenſis S. Theol. Doctor Lovanienſis, Tridentum à Philippo II. miſſus, in TONGERLOENSI Abbatia quondam Theologiæ Profeſſor, concordiæ Evangelicæ capite 55. *Cùm dicit* CHRISTUS: *timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam; non vult ſuos ſervili timore, qui non eſt in Charitate, obtemperare Patri cœleſti, ſed vult inordinatum illum mundi timorem reprimi & ſuperari conſideratione & timore eorum malorum, quæ Deus infligere poteſt in eo, qui habet* DEI *charitatem, ſi modò non* PRAECIPUE *& potiſſimùm ob illorum malorum timorem, à malo ſibi temperet, & bonum operetur.*

Et capite 13. *Proindè fruſtrà quidam contendunt Theologos præter Scripturæ morem tres conſtituere pœnitentiæ partes,* CONTRITIONEM, *Confeſſionem, & Satiſfactionem. Nam in eo quod dixit Ioannes μετανοεῖτε, vel*

vel pœnitentiam agite, primùm includebatur, ut peccata ſua agnoſcerent tamquam OFFENSIVA *Dei, & excludentia ab introitu regni cœleſtis; deindè, quod eadem,* UT TALIA *deteſtarentur, atque de eiſdem ex animo dolerent* &c.

V. JOANNES HESSELIUS S. Th. Doctor & Profeſſor Lovan. quique finem Concilij Tridentini ſpectavit, cap. 1. de Sacramento Pœnit. dictato Anno 1562. *Poteſt quoque fieri, quòd quis de peccato commiſſo doleat, non ex* AMORE DEI, *aut Iuſtitiæ, contra quam peccavit; ſed ex* SOLO TIMORE POENARUM. *Verùmtamen talis non verè etiam agit pœnitentiam, non convertitur ad Deum ex toto corde, ſecundùm Ioelem.*

Et capite 3. *Sciendum eſt autem, quod timor iſte æterni ſupplicij, etiam cum ſpe ipſum ſupplicium per Dei gratiam evadendi, non eſt* CONTRITIO, *neque aliqua pars Iuſtitiæ. Non eſt enim triſtitia ſecundùm Deum, quia per illum homo non ſervit Deo, ſed ſibi, ſpectans tantùm evaſionem pœnarum.*

VI. JOANNES AB HASSELT S. Theol. Doctor Lovanienſis & Profeſſor, in ſententia, quam ſuper facto Nectarij Præſidentibus Concilij Tridentini exhibuit, *Obſervandum eſt,* inquit, *quidnam pœnitentia, quâ parte* DIVINUM INSTITUTUM *eſt, complecti credita ſit ante Novati hæreſim. Hic de animi dolore, ſive* CONTRITIONE *dubium nullum eſt, ſed neque de propoſito relinquendi vitam veterem: dubium, inquam, de duabus his rebus nullum eſt, quin eas complecti credita ſit pœnitentia. Quid ergò ſubſtulitne has Novatus? Non ſuſtulit.*

VII. JUDOCUS RAVESTEYN S. Theol. Doctor Lovanienſis, ſcriptis pro fidei defenſione adversùs hæreticos libris, toto orbe notiſſimus, in Apologia pro defenſionſione decretorum Concilij Tridentini, quam intempeſtivâ morte præventus non abſolvit, parte primâ:
Pag. 281. *Certa,* inquit, *& firma reſponſio Scripturas illas generales quæ promittunt omni credenti ſalutem, non eſſe accipiendas de qualibet fide, ſed de fide, quæ parit veram, & ſynceram* POENITENTIAM *peccatorum,* NON EX POENAE *& damnationis tantùm* TIMORE, *ſed ex vero & ſyncero* DEI AMORE, *ac bona erga Deum voluntate, animoq; divinis deinceps mandatis obſequendi.*

Pag. 257. Et anteà, cùm produxiſſet verba Concilij Arauſicani dicentis, quod Deus ante Baptiſmum *& fidem & amorem ſui priùs inſpirat,* ſubjungit: *Vides Lector inanem eſſe calumniam, quod ordinem in Scriptura monſtratum in deſcriptione ante iuſtificationem invertat Synodus Tridentina, dum docet dilectionem aliquam Dei præcedere iuſtificationem, cùm Scriptura manifeſtè inſinuet* NEMINEM *ſalubriter ad Deum confugere pro impetranda reconciliatione, niſi, qui aliquâ* DILECTIONE DEI ET AMORE JUSTITIÆ *ſit affectus.*

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. Proponuntur teſtimonia aliorum Doctorum & Profeſſorum antiquæ Facultatis Theologicæ Lovanienſis.

I. Cunerus Petri ſacræ Theologiæ Doctor Lovanienſis, & in Parcensi Præmonſtratenſium Abbatia Profeſſor, & poſtmodùm Leowardienſium apud Friſios primus Epiſcopus creatus, in opuſculo de Charitate: *Quamvis*, inquit, *in pænitentia, quæ iuſtificationem & reconciliationem præcedit, ſemper nonnulla dilectio Iuſtitiæ &* AMOR DEI *coniungitur* (*nam* QUOMODO POTEST ESSE CAPAX IUSTITIÆ ET AMICITIÆ DEI, QUI NULLO MODO DILIGIT IUSTITIAM, VEL DEUM) *plurimùm tamen vera Charitas* filialis *ab iſta præcedente dilectione, ſicut ex primo patet articulo, ſecernitur. Nam ſine generali* AMORE, *neque pænitentia, neque ſpes* (*quæ pænitenti neceſſaria eſt*) *concipi poteſt:* QUI ENIM DOLET DE PECCATO, DEBET CONTRARIAM AMARE IUSTITIAM.

II. Godescalcus Rosemundus ſacræ Theologiæ Doctor & Eccleſiaſtes Lovanienſis, primus Collegij Pontificij, ab Adriano VI. excitati, Præſes, ſcripſit Confeſſionale, ſeu libellum complectentem modum ritè confitendi, tertiò ab eodem recognitum anno 1525. in quo poſtquam attuliſſet vulgatam definitionem Contritionis: *Eſt dolor de peccatis aſſumptus* &c. ſubjungit: *Ex dicta definitione Contritionis, elicio primò, quod non eſt* VERA POENITENTIA, *neque Contritio, quam plures in extremis videntur habere, qui principaliter & magis timore mortis &* GEHENNAE, *quàm propter Dei* OFFENSAM *peccata ſua, & vitam peractam videntur deteſtari & deplangere.*

III. Guilielmus Estius ſtudijs Philoſophicis & Theologicis Lovanij eruditus, qui etiam toto decennio docuit ibidem ſacræ Theologiæ Doctor creatus, in 4. Diſtinct. 16, §. 9. *Ab hac imperfecta Contritione* (de qua Tridentinum Seſſ. 14 cap. 4. *quam & perfectam Attritionem nominare licet*) *removetur omnis ea Attritio, quæ naſcitur ex ſolo timore, vel temporalis, vel æterni, aut ſpiritualis damni, aut* SUPPLICII. *Siquidem timor ſervilis, ſicut voluntatem non corrigit, ità voluntatem peccandi non excludit.*

IV. Guilielmus Lindanus Gandavenſis Epiſcopus & Doctor Lovanienſis, in tabulis, quas refert Georgius Ederus libro quinto Oeconomiæ Bibl. *Fides Symbolo Apoſtolico delineata, uti ad ſalutem non ſufficit, ita nec ad impij iuſtificationem. Deſiderat enim veram animi converſionem, ſeu* CONTRITIONEM, *Confeſſionem & ſatisfactionem, tres Evangelicæ pænitentiæ partes.*

Et mox: *Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei* OFFENSAM *ſuſceptus, cum propoſito confitendi, ac ſatiſfaciendi.*

Item libro 4 Panopliæ Evangelicæ: *Faceſſat igitur novum iſtud nova Contritionis figmentum, quod meros animi horrores, & conſcientiæ carnificinas ſomniat: quaſi verò hiſce rebus* PERFICIATUR *Contritio, non* INCHOETUR *tantùm. Quare dum Adverſarij iſtos horrores omnibus Scripturæ locis affingunt & ſuis ſemper obtendunt, quid aliud, quàm ad ſervilem eos metum alligant?*

V. HENRICUS GRAVIUS ſacræ Theologiæ Doctor Lovanienſis, vir Sixto quinto, & Gregorio XIV. cumprimis acceptus, ſcripſit pereruditа Scholia in tomum ſeptimum S. Auguſtini, qui eſt contra hæreſes, ubi ad librum 4 de Baptiſmo cap. 21. explicans, quo ſenſu Auguſtinus *Catechumenum Divinâ Charitate flagrantem* vocaverit: *Auguſtinus*, inquit, *Charitatem generatim accipit pro dilectione, quâ Deum tamquam omnis Iuſtitiæ fontem,* SUMMUMQUE BONUM DILIGIMUS, *cuiuſmodi & ante iuſtificationem* REQUIRIT *Concilium Tridentinum.*

VI. JACOBUS BAYUS ſacræ Theologiæ Doctor Lovanienſis & Profeſſor, Eccleſiæ Collegiatæ Divi Petri Decanus libro 2. Inſtit. Relig. Chriſtianæ cap. 84. *Quamvis ſervilis timor Contritionis rationem non abſolvat, eſt tamen gradus ad eam introducendam propinquus. Dum enim conſcientiam æterni incendij pavore flagellat, voluntas peccata, quæ huius triſtitiæ cauſâ ſunt, odiſſe, ac remedium contra tantum malum quærere incipit. Sic autem anxio Dei miſericordia hominem timore perculſum in ſpem obtinendæ veniæ erigit ab eo, qui non vult mortem peccatoris ſed magis, ut convertatur & vivat, paulatimq; ſpe timorem pellente,* AMOR DEI *ſuccedit, qui ſeriò ad ſe converſum recipere paratus eſt. Quo tandem* AMORE *hominis animus imbutus* PECCANDI VOLUNTATEM DEPONIT, *nec non peccata deteſtari incipit, non ſolùm, quia pœnis obnoxios reddunt, verum etiam quia Deum* OFFENDUNT, *iuſtitiamq; lædunt.*

VII. JACOBUS LATOMUS ſacræ Theologiæ Lovanij Doctor & Profeſſor clariſſimus, qui è primis Luthero ſe oppoſuit, articulo de
Pag. 270. Sacramento Pœnitentiæ: *Ex his patet, quod is, qui timore pœnæ legem ſervat, quamvis non faciat benè, facit tamen minùs malè, quàm ſi ipſam quoque pœnam contemnens legem tranſgrederetur. Item, quod in principio metu fit, aſſueſactione leviùs factum,* VOLUNTARIE *tandem fiet, ut* TIMOR *tranſeat in* AMOREM, *quemadmodùm Lex Moyſi duxit ad Chriſtum.*

Pag. 68. VIII. JOANNES BEETS Carmelita Thenenſis, Doctor Theologus & Profeſſor Lovanienſis, qui obijt Anno CIↃ. IↃCCC. LXXXVI. XVI. Kalendas Auguſti, expoſitione in tertium Præceptum Decalogi capite 5. *Confeſſio debet eſſe voluntaria ---- ex hac conditione ſequitur,*

quod

quod debet fieri cum vera Contritione, & in charitate, ſive ex timore filiali & non SERVILI, *quia* TIMOR SERVILIS QUODAMMODO COGIT, *ſed filialis hominem liberum facit.*

IX. Joannes a Briaert ſacræ Theologiæ Doctor Lovanienſis, ac Procancellarius, qui obijt Anno 1520. tamquam rem in confeſſo, admittit Quodlibetico primo quæſt. 1. *Quod ille, qui ceſſat à peccato iniuſtæ detentionis, ne pœnas inferni cumulet, non benè ceſſet, cùm ceſſet peccaminosè.*

X. Joannes Driedo Lovanienſis Theologiæ decus, Adriani VI. diſcipulus, & ab eodem Magiſterij pileum in ſacra Theologia, Laureamque Doctoralem Anno CIↃ. IↃXII. menſis Auguſti die XVII. conſecutus, de capitiv. & redempt. generis humani tractatu 4. capite 2. parte 7. *Is qui ſolo metu gehennæ ignis, coercet ſe ab opere malo, præceptum odit ſecundùm amorem quemdam habitualem, ſeu radicem intùs latentem, nondùm renovatus ſpiritu amoris iuſtitiæ, ſed non ſemper eſt odium in actu, non ſemper actu concupiſcit deſtructam eſſe iuſtitiam punientem.*

Infrà: *Quamquàm in timore ſervili, ipſa ſervilitas, ſeu peccandi voluntas, quæ intùs latet, non ſit Spiritus ſancti opus, utique tamen timor Divini Iudicij, cùm ſit opus fidei, procedit ex dono Dei. Proindè verum quidem eſt, apud eos, qui ſolo ſervili metu ſolius pœnæ obediunt Præceptis, abſtinentes ab illicitis, neque eſſe curam pudoris, neque honeſtatis, virtutis, & caſtitatis amorem, eosq; timore reprimi, non emendari, attamen ipſi neque tantùm nocens* &c.

XI. Joannes Lensaeus Doctor Theologus Lovanienſis, primùm Abbatiæ Parcensis, deindè publicæ Profeſſioni Theologicæ admotus libri 6. de Chriſtiana libertate Caput 4. ita inſcribit: *Qui ſolo metu, non* AMORE JUSTITIAE, *quod præceptum eſt, faciunt, hos nondùm eſſe liberos à ſervitute peccati.* Quod multis probat, & ſequentibus oſtendit eſſe *verum non ſolùm de illo timore qui dicitur humanus, verùm etiam de illo, quo propter* POENAM METUITUR DEUS.

XII. Joannes Molanus ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor Lovanienſis, teſte Baronio *de Eccleſia* DEI *& veritate Catholica optimè meritus*, de Contrit. cap. 1. num. 3. dicit, quod à Theologis Lovanienſibus Contritio *deſcribatur dolor de peccatis commiſſis propter Dei* OFFENSAM *&c.*

Et num. 30. *Saniores igitur Scholaſtici, cùm aſſerunt virtutem Sacramenti Confeſſionis ex attrito contritum hominem facere, loquuntur de Attritione, quæ adiunctum habet affectum, quo pœnitens incipiat* DILIGERE DEUM, TAMQUAM JUSTITIÆ FONTEM.

XIII.

Digitized by Google

XIII. THOMAS STAPLETONUS S. Theologiæ Doctor & ſacræ Scripturæ in Academia Lovanienſi Profeſſor Regius, lib. 5. de inhærente Juſtit. Prolog. 1. *Negavit utilem eſſe timorem Lutherus --- Melancthon contrà in timore ſervili & in deteſtatione peccati ponit plenam, & perfectam Contritionem, ſed non minùs eſt falſum. Vera enim Contritio odium quidem peccati habet, ſed propter Deum* OFFENSUM, *non propter terrores pœnarum, de quo Apoſtolus dixit: Triſtitia, quæ ſecundùm Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.*

Et infrà: *Quinta diſpoſitio eſt dilectio Dei, quatenùs omnis Iuſtitiæ fons eſt,* &c. NECESSITATEM *verò huius diſpoſitionis dilectionis apertè Apoſtolus docuit dicens:* Neque Circumciſio *aliquid valet, neque præputium (ſupple ad Iuſtitiam conſequendam) ſed fides, quæ per dilectionem operatur.*

Ex hac nobis impoſita nube teſtium, (quamquam complures teſtes indubiè conquiri poſſent) benevolo Lectori judicandum relinquitur, utrùm fallantur, qui antiquam Facultatis Theologicæ doctrinam Attritioni ex (ſolo) metu gehennæ conceptæ eſſe contrariam arbitrantur: & rogantur, ut qui hac in parte Facultatem Theologicam antiquam & modernam inter ſe diſſentire exiſtimant, *etiam atque etiam diligenter, quæ ſunt dicta conſiderent, ne fortaſſis ipſi errent,* ut loquitur Aug. de bono perſever. cap. ultimo.

Cæterùm, quia ignoratio Articulorum antiquæ S. Facultatis Theol. de quibus §. 1. n. 1. videtur nonnullos Recentiores fefelliſſe, operæ pretium erit eoſdem Articulos integros, prout apud Georgium Ederum in Oeconomia Bibliorum editi leguntur, hîc ſubijcere.

Sciendum autem, quod ijdem Articuli triginta duo Anno 1564. menſe Junio fuerint impreſſi Lovanij apud Hieronymum Wellæum Bibliopolam juratum ſub hoc titulo:

AXIOMATA TRIGINTA DUO AB OMNIBUS SYNCERE DE CATHOLICA FIDE SENTIENTIBUS FIRMITER CREDENDA. AUTHORITATE CAROLI V. IMPERATORIS ANNO M. D. XLIV. EDITA, POPULOQUE EXPONI MANDATA, AD HÆRESEON EXTIRPATIONEM.

CENSURA.

HAnc Appendicem ad *Quæſtionem Quodlibet.* &c. collectam à R. & Eximio P. FRANCISCO FARVACQUES Ord. Erem. S. Aug. publicâ luce dignam cenſui. Lovanij die 2. Decemb. 1666.

Iacobus Pontanus S. Theol. Doctor & Profeſſor, ac librorum Cenſor.

Digitized by Google

CONFESSIO CATHOLICA ACADEMIÆ LOVANIENSIS,

DE ARTICVLIS CONTROVERSIS.

ARTICULUS PRIMUS.

CRedendum eſt, ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramenta, à Chriſto inſtituta: Quæ ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Per quæ, quamvis externa & corporalia ſigna, Deus inviſibiliter, ſive per bonos, ſive per malos miniſtros, noſtram ſalutem operatur. Sacramenta.

I I.

Baptiſmus ad ſalutem omnibus eſt neceſſarius, etiam infantibus, per quem peccata planè tolluntur, & fiunt filij Dei ac hæredes vitæ æternæ: nec unquam eſt iterandus. Baptiſmus.

I I I.

Pœnitentiæ Sacramentum (quod poſt Baptiſmum omnibus relapſis eſt ad ſalutem neceſſarium) complectitur Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem. Pœnitentia.

I V.

Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi, non autem (ut quidam hoc ſæculo perniciosè docent) terror conſcientiæ, propter apprehenſum gehennæ ſupplicium peccatis debitum. Præparat tamen hic terror & gehennæ metus, ad veram animi Contritionem. Contritio.

V.

Confeſſurus, diligentiam legitimam adhibere debet, quò Sacerdoti judici ſuo manifeſtet omnia peccata ſua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab eis per illum abſolvatur: cujus Abſolutionis Miniſter eſt ſolus Sacerdos ſecundùm Eccleſiæ ritum conſecratus. Confeſſio.

V I.

Satisfactio, eſt perſolutio pœnæ plerumque adhuc debitæ, remiſsâ jam culpâ. Nam omnem pœnam peccato debitam ſemper condonari, culpâ remiſsâ, erroneum eſt, & Scripturis ſacris adverſatur. Satisfactio

V I I.

Certâ fide tenendum eſt, hominem habere liberum arbitrium, quo poteſt malè, & cum gratia Dei benè agere, & poſt mortale peccatum admiſſum, Deo juvante pœnitere, & peccatorum remiſſionem conſequi. Liberum arbitrium.

Digitized by Google

VIII.

Juſtificatio

Ad juſtificationem ante omnia neceſſaria eſt in adultis fides, quâ certò credimus, Chriſtum Jeſum Dei Filium, nobis propiciatorem à Patre propoſitum eſſe pro peccatis noſtris in ſanguine ipſius, ſine qua nullis noſtris operibus, nullâque pœnitentiâ juſtificatio obtineri poteſt: ſicut nec fide ſolâ ſine pœnitentia & propoſito vivendi ſecundùm mandatum Dei.

IX.

Fides ſpecialis.

Fides quâ quis firmiter credit, & certò ſtatuit propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeque poſſeſſurum vitam æternam, nullum habet in Scripturis teſtimonium, immò eiſdem adverſatur: etiam ſi firmâ & certâ ſpe expectare debemus in hac quidem vita per Sacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ peccatorum remiſſionem, in ſæculo autem futuro vitam æternam.

X.

Itaque quàmdiu inter hoſtes noſtros & adverſarias poteſtates hîc vivimus, nulla nobis eſt ſecuritas: ſed cum timore & tremore juxta ſententiam Apoſtoli, noſtram ſalutem operari debemus. Et ſecundùm varias animorum noſtrorum affectiones, nunc magis ſperare, nunc magis timere, ſimpliciter tamen magis & frequentiùs de miſericordia Domini ſperandum eſt, quàm formidandum de ſeveritate.

XI.

Opera.

Opera bona omnibus adultis ſunt ad ſalutem neceſſaria, & cùm ex fidei & charitatis ſpiritu proficiſcuntur, ita grata ſunt Deo, ut eis tanquam juſtam mercedem vitam retribuat æternam.

XII.

Confirmatio. Extrema Unctio

Confirmatio & Extrema Unctio, Sacramenta ſunt à Chriſto inſtituta: ſed non, ut duo præcedentia, ad ſalutem neceſſaria: ex contemptu tamen illa omittere, mortale peccatum eſt.

XIII.

Euchariſtia.

In Euchariſtiæ Sacramento eſt re ipsâ verum Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, illud ipſum quod de Virgine natum, & in cruce paſſum eſt.

XIV.

Tranſſubſtantiatio.

In Euchariſtia non manent panis & vinum, ſed hæc in Corpus & Sanguinem Chriſti admirabili potentiâ Verbi ipſius ſunt converſa, manentibus tantùm panis vinique ſpeciebus. Undè certâ fide tenendum eſt, ſacram Euchariſtiam ſanctè à nobis adorari, ſive in Miſſa, ſive extra Miſſam, ubicumque repoſita fuerit, aut quoties in Supplicationibus publicis à Sacerdote circumfertur.

XV.

Digitized by Google

X V.

Non eſt laicis neceſſaria ad ſalutem Communio ſub utraque ſpecie: juſtiſque de cauſſis ab Eccleſia ſancitum eſt, ut illis ſub una tantùm panis ſpecie Sacramentum communicetur: in quo Carnem & Sanguinem, atque ita totum Chriſtum ſub una ſpecie ſumunt. Comm. ſub utraque ſpecie.

X V I.

Sacrificium Miſſæ ex inſtitutione Chriſti tam vivis prodeſt, quàm defunctis. Sacrificiũ vivis & defunctis.

X V I I.

Solis Sacerdotibus ſecundùm Eccleſiæ ritum ordinatis, data eſt à Chriſto poteſtas conſecrandi verum Corpus Chriſti & Sanguinem. Poteſtas conſecrãdi.

X V I I I.

Matrimonium contractum & conſummatum inter Chriſtianos, eſt indiſſolubile: qualiſcumque fiat alter conjugum, ſive adulter, ſive ſterlis, ſive hæreticus. Matrimonium.

X I X.

Numquàm licet Chriſtiano poſt divortium contrahere Matrimonium vivente eo, cum quo priùs legitimè contraxerat.

X X.

Matrimonia contracta, contra Canones ipſa dirimentes, ſimpliciter ſunt irrita & nulla.

X X I.

Firmâ fide tenendum eſt, unam eſſe in terris veram atque Catholicam Chriſti Eccleſiam, eamque viſibilem, quæ ab Apoſtolis fundata, in hanc uſque noſtram ætatem perdurans, retinet & ſuſcipit quicquid de fide & Religione tradidit, tradit, & traditura eſt Cathedra Petri ſuper quam ita à Chriſto ſuo Sponſo eſt ædificata, ut in his quæ fidei ſunt & Religionis, errare non poſſit. Eccleſia.

X X I I.

Extra hanc nulli ſperanda eſt ſalus: ſuntque extra eam hæretici, ſchiſmatici & excommunicati: undè vehementer formidanda eſt excommunicatio: nec humana, ſed Divina eſt excommunicandi poteſtas.

X X I I I.

Unus eſt Eccleſiæ ſummus Paſtor, cui omnes obedire tenentur: ad cujus judicium controverſiæ, quæ ſuper fide & Religione exiſtunt, ſunt referendæ. Summus Pontifex.

X X I V.

Summam hanc præpoſituram primus omnium geſſit ſanctus Petrus, verus Chriſti in terris Vicarius, & totius familiæ ejus Paſtor. Poſt Petrum verò ex Chriſti inſtitutione omnes deinceps Pontifices, Petri in Cathedra Succeſſores.

XXV.

Digitized by Google

XXV.

Traditio. Certâ fide tenenda ſunt, non ſolùm quæ Scripturis expreſsè ſunt prodita, ſed etiam quæ per traditionem Eccleſiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita ſunt ſuper fidei & morum negotijs per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitimè congregata.

XXVI.

Conſtitutiones. Conſtitutiones Eccleſiaſticæ de jejunijs, feſtis, & abſtinentia ciborum, alijſque multis, obligant in conſcientia, etiam extra caſum ſcandali.

XXVII.

Sanctorum veneratio. Rectè fit in Eccleſia, quòd ſanctos in cœlis cum Chriſto agentes veneramur & invocamus, ut pro nobis orent, quorum etiam meritis & interceſſione Chriſtus nobis hîc multa largitur, aliàs non largiturus: per quos etiam miracula multa in terris operatur.

XXVIII.

Peregrinationes. Quapropter ſanctè & religioſè faciunt, qui loca eis dicata, unà cum ipſorum reliquijs religioſâ pietate viſitant, & hoc modo ab ipſis opitulationem quærunt.

XXIX.

Imagines. Gratus eſt etiam Dei imaginum uſus: rectèque coram eis procumbimus, invocaturi Sanctos quos repreſentant.

XXX.

Purgatorium. Firmiter credendum eſt, poſt hanc vitam Purgatorium eſſe animarum, in quo ſolvitur pœna peccatis adhuc debita. Eiſdem tamen ſubvenitur ſacrificio altaris, oratione, jejunio, eleemoſynâ, alijſque bonis operibus vivorum, ſicut & indulgentijs, quò citiùs ab ea liberentur.

XXXI.

Animæ defunctorum purgatæ, mox regnant cum Chriſto in cœlis, & animæ impiorum hinc migrantes, ſempiternis inferni traduntur ſupplicijs.

XXXII.

Vota. Rectè vota Deo facimus, tam monaſtica, quàm alia: & facta, obligant apud Deum, nec adverſantur libertati Evangelicæ: quæ à peccatis libertas eſt & ijs, quæ ſpiritum noſtrum quoquo modo impediunt, quo minùs totus Deo ſerviat: non autem, à voti vel juramenti obligatione, nec ab obedientia Magiſtratûs Eccleſiaſtici vel ſœcularis.

Anno à Nativitate M. D. XLIV. menſis Decembris die ſextâ, Facultas Theologica congregata per juramentum in Collegio Theologorum ſuper Articulis præcedentibus, probavit hos Articulos ſub forma quâ ſcripti ſunt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE